

INCERTI AUCTORIS LIBER
DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE

Proca, rex Albanorum, Amulium et Numitorem 1
filios habuit, quibus regnum annuis vicibus habendum
6 reliquit [ut alternis imperarent]. Sed Amulius fratri
imperium non dedit et ut eum subole privaret, filiam
eius, Rheam Silviam, Vestae sacerdotem praefecit, ut
virginitate perpetua teneretur, quae a Marte compressa
Remum et Romulum edidit. Amulius ipsam in vin- 2
10 cula compegit, parvulos in Tiberim abiecit, quos aqua
in sicco reliquit. Ad vagitum lupa accurrit eosque 3
uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor collectos
Accae Laurentiae coniugi educandos dedit. Qui postea 4
Amulio interfecto Numitori avo regnum restituerunt;
15 ipsi pastoribus adunatis civitatem condiderunt, quam
Romulus augurio victor, quod ipse XII, Remus VI
vultures viderat, Romam vocavit; et ut eam prius
legibus muniret quam moenibus, edixit, ne quis vallum
transiliret; quod Remus irridens transilivit et a Ce-
20 lere centurione rastro fertur occisus.

Romulus asylum convenis patefecit et magno ex- 2
ercitu facto, cum videret coniugia deesse, per legatos
a finitimis civitatibus petiit. Quibus negatis ludos 2
Consualia simulavit; ad quos cum utriusque sexus